

presentem de Necessitate bonorum operum à corrupte-  
lis Romanensium & quorumvis aliorum hereticorum repurga-  
verit, & nitore suo pristino restituerit, quemadmodum scri-  
pta illius publica necessitati bonorum operum opposita, satis su-  
perq; testantur.

II X. At verò Articuli hujus puritate & sinceritate diu per-  
frui Ecclesia non licuit: Nam mox post obitum B. Luthe-  
ri à Theologis nonnullis Confessioni quidem Augustanae addictis,  
erroneæ & periculose omninò phrasæ, de hoc doctrinæ  
capite sparsæ, & passim propagatæ sunt, alijs quidem neces-  
sitate bonorum operum, cum detrimento Iustificationis gratui-  
ta nimis urgentibus, alijs autem in contrariam hyperbolem pro-  
labentibus: Unde factum, ut à veritatis tramite haud parum  
deviauerint.

IX. Præbuit erroribus istiusmodi primam quasi ansam & oc-  
casionem, Sphinx illa Augustana, seu Liber Interreligionis,  
ut vocant, qui ad insidias doctrinæ orthodoxæ struendas, mirâ  
arte fabricatus & compositus hanc loquendi formulam, Bona  
opera sunt necessaria ad salutem, expresse urgebat & gra-  
tuitæ peccatorum remissioni, directè opponebat.

X. Unde factum, ut multi ex Episcopis, Ordinibus & Theo-  
logis Misnensibus, qui jam felicem in Ecclesiam repurgatam in-  
gressum fecerant, pedem retulerint, & in Actis Synodicis,  
disputationem illam de bonorum operum necessitate ad salutem,  
non obscure approbaverint & promoverint.

XI. Etsi autem Errori isti pestilentissimo, complures sinceri  
Augustanae Confessionis Doctores, Scripturæ sacræ ductum, &  
Lutheri vestigia prementes, acriter contradicerent, eundemq;  
piè & graviter, nervosè ac solidè refutarent: nonnulli tamen  
ex Theologis harum quoq; regionum necessitatem illam

Depravatio  
hujus articu-  
li post obitum  
Lutheri,

I.

Αρχὴ CON-  
troverſiæ de  
Necessitate  
operum.

2.

Ἰνιδουσι.

3.

ἀρχὴ.